



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Demetrius Mart. 26. Octob.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

672 VITÆ SANCTORUM. 26 Octob.

Fluxa & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despice: minas ejus animi fortitudine supera: surgentia carnis incendia reprime: mentem virtutibus dilatar corporis frigus de corde depelle, & ad supernæ beatitudinis gaudium flammato considerio suspira. S. Pet. Dam. serm. 5.

S. DEMETRIUS MART. 26. Octob.

N Atale solum D E M E T R I O dedit

Thessalonica, parentes nobilitatem, literarum studia laudem, at militia denique totius Græciæ imperium Christus illi semper in ore, hujus præco ipse Proconsul non dubitavit esse; quo factum, ut passim ubique superstitionem in provinciâ suâ expugnarit. Debebatur illi obres tam benè gestas triumphus. Sed hunc ille scilicet in carcere duxit. Corona ut non deesset sic triumphanti, hanc è celo Angelus attulit. At ille non unâ contentus, sed plures sperare ausus, certamini suo alios præmisit. Et fortè ludos dabat Maximianus more suo cruentos. Lyzus staturâ & robore monstrum solus in quoſvis pugnabat, numquam, numquam non victor. In hunc D E M E T R I U S immittit Nestorem adolescentulum viribus longè inferiorem, cætera cruce frontem & pectus probè armatum. Hic portentosum gladiatorem in arenâ porrexit. Sed per hujus latus Imperator se

sau-

26. Octob. VITÆ SANCTORUM. 673
saucium sensit. Itaque in Nestorem gla-
dio, in Demetrium lanceis fævit; sed non
ita, quin post mortem in ore omnium vi-
veret. Nam chlamys Martyris sanguine
tincta ægros contra omnes morbos ar-
mavit, & Lopus Demetrii servulus cùm
anulum suum cruento domini, hoc est,
gemmâ ornasset, compluribus deinde sa-
nitatem eo impertiit, dum vitam pulchrâ
pro Christo morte etiam ipse obsignavit.
Ex Surio.

Habes arma, ô homo quibus adversus ho-
stes tuos utaris, quæ si ad salutem tibi data
spreveris, vixtus in die Iudicii quomodo te
excuses, non habebis. si adversus te corporis
cupiditatem dæmon incitârit, temperan-
tiâ thoracem induito; si te lasciviae sagittis
petierit, sume galeam castitatis. S. Ephrem
de Ling. morb.

S. FULCO EPISC. 26. Octobris.

Qui pauperes esse Musas indignantur,
exemplum patientiæ licet à Fulco-
ne mendicent. Hic extremâ rerum om-
nium inopiâ pressus, non tamen ideâ
minùs literas coluit, dudum ab his ip-
sis edoctus somnia doctiora non pos-
merum, sed aquas in Helicone potas ob-
repere. Quare non invitus à magistro
doctrinam, ab aliis vixtum vestitumque
precario accepit. Et fortè fortuna di-
tiores ædes pulsavit, cùm ancillula stipem

Vu

pe